



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Oratio est cordis desyderium pro re à deo impetranda. Hoc desyderium si uerum est, nunquam cessat, donec à deo quod desyderat, accipit: hoc est quod Christus dicit, Oportet semper orare, & non deficere. Qui non desyderat, nihil orat, ut maxime multiloquio aëra cõpleat: qui uero desyderat, etiam à uerbis quandoq; non abstinebit. Hinc fit, ut generali uocabulo orationem uocemus quamcunq; cū deo colloquutionem, etiam cum laudamus in psalmis & canticis spiritualibus: id est, quæ fiunt in cordibus. Nam ut nunquam cessamus desyderare misericordiam & nobis & proximis: ita quoq; semper, ne nostra uideamur querere, desyderamus sanctificari nomen patris nostri. In omnibus ad deum fiat uoluntas tua &c. Insruit ergo hic Paulus episcopum, quod moneat suos auditores, nempe hoc, ut in primis orent. Quomodo enim intelligent Euangelium, aut dilectionem consequentur in deum & in proximum, nisi postulauerint à deo spiritum bonum? Ut hac admonitione primum omnium discant omnia ex deo pendere, cum audiunt omnia à deo postulanda. Orent autem pro omnibus hominibus, etiam inimicis: id quod uera postulat charitas. Nec excludant ab oratione reges & principes, licet impios. Primum, ut quam pacē eis postulam us ueniat quoq; ad nos, & sub eis uiuamus in pace, quans

Oratio qd.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Sum per pietatem ad deum, & honestatem ad proximum liceat. Ne intelligas propter carnis pacem, quod ad homines attinet, cedendum esse pietati & fidei, siue conscientiae. Deinde, quod hoc quoque acceptum est deo, ut pro omnibus oremus sine acceptione personarum, siue sint iudaei siue gentes, siue serui siue principes. Quia sicut ipse solus deus est, & omnium sine acceptione dominus: ita omnes homines uult ad agnitionem sui peruenire. Quapropter nos neminem excipere debemus, ne reges quidem impios, cum ipse neminem excipiat. Sic oratur pro Nabuchodonosore, & Balthasaro, Baruch. 1. Item, quia unus est mediator inter deum & hominem, qui se dedit redemptorem pro omnibus. Ergo rursum nos neminem excludere debemus, cum oramus pro salute hominum, &c. scientes hoc ipsum & deo patri & Christo, quem pater dedit mediatorem, placere.

*Etiam pro
impis prin:
uult orari*

Deprecationes.

Sic distinguunt, ut deprecari sit orare, ut malum auferatur, obsecrare ut bonum ueniat, interpellari, conquiri de his quae nos ledunt: gratias agere de beneficiis acceptis: id quod ferè rationes uocabulorum postulant.

deprecari

obsecrare

interpellari

Omnes uult saluos fieri.

Cunctos homines uult saluos fieri, siue seruari, & ad agnitionem ueritatis peruenire: ergo iussi sunt apostoli praedicare Euangelium omni creaturae: Sed multi sunt uocati, pauci uero electi Quomodo autem hoc con-

uenit cū eo quod Rho. 9. dicit Paulus, Cuius uult misere-
 retur, & quem uult indurat? Respōdeo, quod unus lo-
 cus in scripturis obscurus, non est omnibus alijs claris
 obijciendus. Tota scriptura habet impios damnari,
 pios siue credentes saluari: illos iudicio dei, hos miseri-
 cordia. Intelligendum ergo quod dicit, Vult omnes
 homines saluos fieri &c. De hominibus omniū statu-
 um, id quod hic cohæretia textus postulat. Orate pro
 omnibus, etiam pro regibus &c. quia hoc placet deo:
 qui nullum statum mundi reijcit: quandoquidē & iu-
 stos reges fuisse constat: ut Dauidem, Ezechiam, &c.
 Omnes ergo hoīes, id est ex omnibus statibus homi-
 nes, & præterea nō solū Iudæos, ut ipsi Iudæi putāt:
 sed & gētes per totū orbem. Sic & de Christo dicit:
 Qui dedit semetipsum preciū redēptionis pro omni-
 bus. Vide, si placet, annotationes. Philippi ad Rho. 8.

Vnus mediator.

Vnde ergo nobis tot mediatores quidam fecerunt
 sine scriptura, & sine uerbo dei? quibus non occur-
 rit, quod Christus orat pro nobis, & intercedit, ut
 mediator: & solus mediator inter deū & hominē, q̄a
 solus est deus, & homo: id quod nullus aliorū sancto-
 rum esse potest. Orant sancti qui sunt in terris pro se
 mutuō, & exaudiūtur à deo, sed per Christū media-
 torem, sicut ipse promittit: Si quid petieritis patrem
 in nomine meo, hoc faciet, &c. De defunctis sanctis,

Santi in
 terris

IOAN. 16.



ANNOT. IOANNIS POMERANI

qd' orēt pte, scripturā & uerbū dei nō habes. Quandoquidē scriptura Christū tibi cōmendat pōtificē qui ingressus est in cœlū, ut illic se offerat uultui patris p nobis, ut dignissime tractat epistola ad Heb. Qui interpellat pro nobis, Rho. 8. Quē aduocatū habemus apud patrē, qui est propiciatio pro peccatis nostris, 1. Ioan. 2. Et propiciatorium nostrum, ad Rho. 3. Et thronus gratiæ, ad Heb. 4. Et præterea solum deum inuocandum esse tota scriptura & præcipit, & testatur, nec aliud exēplum in scripturis habes. Cur ergo ad illa deslectis quæ nescis, relicto illo quod certum tibi offertur? In iniuriam certe Christi alios in cœlo posuerunt mediatores. Et Paulus aperte dicit, Unus deus unus mediator.

Vt esset testimoniū tēporibus suis.

Id est, ut hoc mysterium redemptionis Christi, qua redimuntur omnes homines: id est non solū Iudæi, sed etiam gentes, reuelaretur mūdo, tempore à deo ordinato: sicut de hoc mysterio reuelando in epistola ad Ephe. & alibi scribit, & hic infra cap. 3. Ad quod mysterium reuelandum dicit Paulus se doctorē missum à deo gētibus. Doctorē inquam in fide, nō doctrinis legis, & ueritate, nō hypocrisi operū. Veritas est fides, ubi creditur non hominū doctrinis (omnis enim homo mendax) sed soli uerbo dei: qui est ipsa ueritas, &c.

Volo uiros orare.

Prosequitur

IN EPI. PAULI AD TIM. I. 85

Prosequitur qd' coeperat de oratione. Vide hic quod Paulus non requirat templum adorationi: sed dicit, In omni loco, id est, ubicunq; orauerint, &c. Ne hic struas rursus Paulo calumniam, quod oporteat etiam in agris, in inuis &c. orare: quia dicit in omni loco, &c. Potuerat & hoc quoq; quod supra dixi, Vult omnes homines saluos fieri: sic interpretari, id est, quotquot saluatur, eius uoluntate saluantur, sicut Ioannis I. Illuminans omnē hominē &c. id est quotquot illuminantur, à deo illuminantur: sicut & hic, Volo uiros orare in omni loco: id est, ubicunq; orauerint. Si uidissem ad contextū orationis pertinere, ut uideas uel hoc loco, qd' scriptura nihili facit sophisticas cauillationes. Qui credit, credat. Argutijs enim illis, dei spiritus nō concipitur. Summa ergo (ut hoc rursus ingerā) superioris loci ex cōtextu orationis petēda est. Orate pro omnium hominū statu siue cōditione. Nā deus nullū statum reijcit, & Christus non solū pro Iudæis, sed etiam pro gentibus, cuiuscunq; cōditionis existant, mortuus est. Aduerte, qd' uiros uult orare cū pietate, mulieres uero nō solum cum pietate, sed & cum uestitu & opere profitentes pietatem, ut etiam ipso aspectu uideātur esse Christianæ: & exemplum sint castitatis & uerecundie, ne auertant uirorum animos, ubi ad orationē publicam cōuenitur. Nam publicam etiam orationem tum habuisse Christianos, ubi conueniebant, testatur

Mulieres

ANNOTAT. IOANNIS POM.

locus Pauli 1. Corin. 14. Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amen super tuâ benedictionem. Opera uero bona mulierum non sunt superstitiones illæ stultarum fœminarum, quarû multas ipsæ excogitarunt, multas uero à stultis confessoribus, quos uocant, & indoctis prædicatoribus didicerunt. Sed sunt illa quæ scribuntur infra cap. 5. Si filios educauerit, si fuit hospitalis, si sanctorû pedes lauerit, si ad afflictis inseruiuerit, si in omni bono opere fuerit assidua. Et ad Titum 2. Anus similiter &c. 1 Petri 3. Similiter & mulieres, &c.

Bona opa mulierû.

Sustollentes &c.

Habitû orantium indicat, qui nihil est nisi & cor leuatur ad deum: sicut in psalmo dicitur: Ad te domine leuavi animã meam: id quod hic dicit, Sustollentes puras manus. Quorû enim manus sanguine plene sunt, illos non uult exaudire dominus, Esa. 1. Puræ manus non sunt, nisi cor purum sit, quod sine fide purum esse non potest. Fide enim, inquit Petrus, purificans corda corû, id quod hic dicit, absq; ira & disceptatiõe. Duo sunt quæ impediunt exauditionem. Primû ira, id est quod non dimittis proximo in te peccanti. Nam hanc conditionẽ in euangelio semper uides adiectam: Si remiseris fratri, &c. Alterû disceptatio, qua disceptas tecû, et dubitas nõ sis exaudiendus. Hic quoq; nihil recipis, Iacobi. 1. Vide Marci 11. Credite & accipietis.

Duo sunt quæ impediunt exauditionem.

Mulier in silentio, &c.

Id est, non loquatur, ubi docendi gratia conuenitur, ubi audiendum est uerbum dei: nam uiris permittitur loqui cum doctore, imò si fuerit assidenti reuelatum, qui prius docebat, taceat, 1. Corin. 14. Mulieres uero in ecclesia taceant, ut dicitur ibidè: ne sibi auctoritatem uendicent in uiros contra legem dei, quæ dicit: Sub uiri potestate eris. Et præterea, Adam est creatione prior. Item, Mulier est ruina uiri: salua tamen fiet per liberorum generationem. Quod opus haud dubie bonum, nemo hodie respicit, cum tamen hic mulier habeat uerbum Pauli, imò dei in Paulo, & in hoc obsequitur deo, qui dicit: In labore paries, &c. Imò hic in dei opere est, qui dicit: Multiplicabo conceptus tuos, & ærumnas tuas, &c. Et additur: Si manserint, &c. Sic enim est in Græco uerbum plurale, quod in ueteri translatione non inepte legitur in singulari, uitato Hebraismo. Hebraismus enim est, si manserint scilicet mulieres, de quibus supra dixit. Consimiliter & mulieres, &c. Hebræos subito mutare numerum, & personas, ex prophetis notum est. Nam qui intelligunt, si permanserint, scilicet filij, non uident quàm ineptum hoc sit, quasi mulier non possit salua fieri, nisi & filij saluentur. Igitur si permanserint, inquit, mulieres in fide, & dilectione & sanctificatione, qua quotidie sanctiores fiunt, id est crescunt fide et dilectione, adiuncta castitate, id est morum integritate, quæ etiã deceat coram hominibus. Aduer-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

e uero & mulieres prophetare, si habent uerbum, ubi uiri nō sunt qui uerbum habeant. 1. ad Corin. 11. Mulier orās aut prophetans, &c. Iohelis 2. legis, Et prophetabunt filij uestri, & filia uestre. Actorū. 21. Erant Philippo quatuor filia uirgines prophetantes. Et Maria canit Magnificat, &c.

CAPVT III.

DE EPISCOPIS ET DIACONIS.

Episcopos esse uerbi dei prædicatores ad hoc electos, & diaconos esse sanctorum ministros, & pauperū prouisores admonui in principio epistolæ ad Philip. Hi eligebantur in ciuitate à populo, uel ab Episcopo: id est, apostolo aliquo, siue prædicatore, q̄ illic populū docuerat: & manere ibi non potuit consentiente tum & uolente populo. Eligebantur autem ex ciuibus probatissimis, quibus erant uxor, filij, familia, domus cura, &c. Sicut nunc consules eliguntur: ut hic uides. Vnde episcopatus & diaconatus officia erant, non perpetuæ dignitates, ut nunc fabulantur de characterẽ indelebili. Compose ergo nūc nostrorū dignitates illorū officijs, et uidebis apostolicā institutionem nostros ignorare. Igitur apostolus dat, si qui sint qui cupiunt præfici, quẽ admodū hic describit. Bonū enim opus desyderant, non suam gloriã aut cōmodū: officia enim sunt, non dignitates. Eadem penè uides ad Titū

laü // episcopatus
officiū, nō
dignitas est